



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1431. usque ad annum 1441

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1768**

**VD18 90118316**

§. 114. Sessio III. ejusdem Concilii.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66426](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66426)

copus ex parte latinorum in idem, quod Sæcul. XV.  
A.C. 1458.  
Bessarion pertractabat, argumentum ex-  
currebat, & latina, gravique oratione Pon-  
tificis, Imperatoris, Patriarchæ, totius de-  
nique Synodi laudes, & gloriam profusa  
encomiorum amplitudine deprædicavit,  
ac tanta orationis ubertate, & dicendi  
studio abreptus est, ut nonnisi ingruen-  
te vespere verbis finem faceret: quapro-  
pter nihil amplius ea Sessione gestum  
erat, indicto rursus tertio confessu ad se-  
quentem Martis diem. Intermedio hoc  
temporis intervallo deliberatum est, quo  
ordine disputatio dirigenda, item quod  
dogma præ reliquis discutiendum; qui-  
nam primi vel ex Græcis, vel Latinis  
certamen aggressuri essent, & num inter-  
rogationibus, ac responsionibus utendum,  
vel potius ex utraque parte elucubratis  
Disertationibus pugnandum esset. Decre-  
tum tandem, disputationes dialectico mo-  
re succinctis argumentis instituendas:  
Græcis vero, ut ante Latinos in tertia  
Sessione disputationi initium darent, reli-  
quendum esse.

## §. CXIV.

*Sessione tertia Ferrariensis Synodi.*

Sessione III. die Martis decimo quarto  
Octobris habita, Marcus Ephesinus de Conc. ibid.  
charitate in ipso disputationum æstu fer-  
vanda

Bb 2

vanda



Sæcul. XV.  
A. C. 1438.

vanda verba fecit, seque a quæstione circa additionem vocis *Filioque* agitanda exorsurum haud obscure insinuavit. Ad hæc Andreas Colossensis Latinorum nomine respondit: *Et nos, ut eandem præstitis & ipsi dilectionem, rogamus, & si verbum aliquod prolatum fuerit asperius, ascribatur materiæ disputationis, non Personis disputantibus.* Cum vero de additione verbi *Filioque* orationem inchoaret, cursum sermonis interceptit Marcus Ephesinus, dicens: necdum tempus opportunum ad hujus articuli responsiones advenit; cumque assereret, quod ab Ecclesia Romana pax, quam nunc vehementer exoptat, primis temporibus neglecta fuerit, pronunciavit, quod de unione actum erit, nisi primæ dissensionis radices ex integro tollantur, moxque subjunxit: *Primo loci recitentur Sanctorum illorum Patrum definitiones, nisi tempus impediatur, ut ostendamus nos eadem sentire, quæ illi, & sequi eos non modo ordine, sed etiam sensu.* Hoc autem necessarium esse arbitramur, priusquam quæstioni propositæ, ac disputationibus locum concedamus. Andreas Rhodius æge admodum tulit Romanam Ecclesiam a Marco Ephesino insinuatam fuisse neglectæ pacis, quæ tantopere præsentis temporis cursu exoptaretur; quapropter Marco responsurus inquit: *miror oblitum esse, Romanæ Ecclesiæ tantæ semper curæ fuisse.*



fuisse, ac esse Orientalem Ecclesiam, ut nun-  
quam coorta fuerit in illis partibus tempestas  
cujuscunque hæreseos, ad quam sedandam Ec-  
clesia Romana non tulerit auxilium omnibus  
modis, tum literis, tum Legatis suis, & qua-  
cunque alia re facultas tulit. Marcus Ephe-  
sinus Rhodio quidem respondit, sed de  
ipso dogmatis articulo in hac Sessione ul-  
teriori disceptationi supersedit.

§. CXV.

*Sessio IV. Ferrariensis Synodi.*

Celebrata est feria quarta die decima  
quinta Octobris Sessio quarta, quæ  
tota nonnisi sermonibus inter Marcum  
Ephesinum, & Andream Rhodium ab-  
sumebatur, nec ulla certa quæstio per-  
tractabatur. Ipse etiam Bessarion Nicæ-  
nus Marci partes tuendas suscepit, di-  
cens: *neesse est, ut dicenti liceat proferre,*  
*quæ vult, deinde vero, qui illum audit, aut*  
*probabit, aut reprehendet, coarguetque ser-*  
*mones, ut non veros, ac non necessario con-*  
*cludentes.* Græcis enim sermonis præro-  
gativa fuit concessa: latinorum igitur est  
ea, quæ proponerent Græci, audire, ne-  
quaquam vero illos interrumpere, sed  
postmodum, si quæ a Græcis minus fun-  
date fuissent prolata, convellere. Ad hæc  
Bessarionis dicta Julianus Cardinalis re-  
spondens, de proponendi methodo tracta

Bb 3

vit;